



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

13. Cognitio & amor aliorum attributorum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

*Aspirationes.*

I. *Psallite Domino Sancti eius: & confite-  
mini memoria sanctitatis eius. Psal. 29.*

II. *Ignis sancte, quàm dulciter ardes, quàm  
secretè luces! Va iis, qui non ardent ex te! Va  
illis, qui non illuminantur ex te. S. August.  
solil. c. 34.*

III. *Pater sancte, sanctifica nos in veritate!  
Quia non est sanctus ut est Dominus; neque  
est alius extra Te. 1. Reg. 2.*

P A S S U S XIII.

Cognitio & Dilectio aliorum  
Attributorum Divinorum.

T E X T U S.

*Ex Ipso, per Ipsum, & in Ipso  
sunt omnia. Ad Rom. c. 11.*

*Cognitio.*

I. **D**omine Deus noster: in Te omnes  
perfectiones & virtutes modo emi-  
nentissimo & perfectissimo continentur.  
In Te enim 1. Est *Immensitas*; es enim ubi-  
que, & mille cœli & terræ capere Te ne-  
queunt. 2. In Te est *Immutabilitas*: nihil

218 SEMITA PERFECTIÖNIS.

enim tibi unquam accedere aut decedere potest. Alia sicut vestimentum veterascunt, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficiunt. 3. In Te est *Immortalitas*. Omnia alia mori & interire queunt, Tu necessariö permanes, & vivis in æternum. 4. Tu es prima, summäque veritas & veracitas, quæ fallere aut mentiri nequit. 5. Tu es summa *Fidelitas*, quæ non potest non stare promissis.

II. Tu 6. es summa justitia, absque omni injustitia. 7. Tu es summa *Misericordia*, effundens te super omnia opera tua. 8. Tu es summa *Liberalitas*, dans omnibus affluenter, & non impropersans. 9. Tu es suprema *Providentia*, quæ à summo Seraphino, ad infimum usque vermiculum omnibus providet. 10. Tu es summa *Unitas*, summa *Simplicitas*: omnia, quæ de te dicimus, non multa, sed unum sunt.

III. Tu 11. es *primum principium* omnium, à quo omnia esse suum, & quidquid habent, nanciscuntur. 12. Tu es *finis ultimus* universorum, ad quem omnia diriguntur, suäque debent dirigere. 13. Tu es *vita* omnium, vita æterna, à qua viventia cuncta vitam suam participant. 14. Tu es *beatitudo* æterna, omnes in cælo beans, recreans, & æternum satians. 15. Denique tu es infinita *clementia*, *beneficentia*, *fortitudo*, verbo, omne bonum nostrum, quod solum nos replere, solum nos satiare ac beare valet.

*Dilectio.*

Quapropter, Deus meus & omnia, diligo Te super omnia; quia in te reperio omnia: æstimo super omnia: desidero Te super omnia, adoro, veneror, laudo & glorifico Te super omnia: uniri Tibi cupio super omnia: extra Te omnia arbitror ut sterco-  
ra, quo Te possideam, & æternùm Te perfruar, Deus meus & omnia.

*Aspirationes.*

I. Domine, quid mihi est in calo. & à Te quid volui super terram? Psal 72. 24.

II. Exulta anima mea, & cum omnia possidentem ita presentem habeas, ne quare foris, quod intus contines: ut quid effundis cor tuum, & instabilis mente per multa vagaris? Quare unum bonum, in quo sunt omnia, & sufficit. S. Aug. in Man. c. 34.

III. O Deus meus & omnia! Quid extra Te desidero! Quàm avarus est, cui Tu non sufficis!

## P A S S U S XIV.

Cognitio & Dilectio aliorum  
Officiorum DEI.

## T E X T U S.

*Dignus es Domine Deus noster*